

ΣΥΝΘΕΩ

HEPTAS PROBLEMATICA:

De

PHILOSOPHIÆ NATURA ET STUDIO, AD PLACIDAM ΣΥΖΗΤΗΣΙΝ PROPOSITA  
in celebri Nassoviorum Herbornæa:

S U B T RÆS I D I O

Dn. JOHAN-HENRICI ALSTEDI:

à

GULIELMO PISTORIO, Grevenbruchenſi Juliaco.

*Utile est ad usum secundorum per adversa venisse.*

OS) (SO

¶

A N N O

GAUDEAMVS CHRISTO.



AVITO GENERIS ET NATALIUM SPLENDORE NOBILISSIMO, MULTOQ; rerum insignium usu & experientia præstantissimo viro, Dn. WERNERO HOND in Neuenhofen / seniori, patrono & fautori honorificè semper colendo:

RECOGN

CONSULTISSIMO ET GRAVISS. VIRO,  
Dn. HENRICO Steingens / Dynastiæ Wevelinckoven-  
sis in Comitatu Bentheimensi præfecto meritissimo, pa-  
tronoo summè suspiciendo:

ITEM QVE

PERMAGNAE SPEI, SINGULARIS ERUDITIO-  
nis, pietatis & modestiæ juveni-viro, Dn. ARNOLDO HOND ju-  
niori, contubernali & amico ut veteri ita amicissimo:

UT ET

DOCTRINA, PROBITATE, EXIMIIS, VIRTU-  
tumq; bonarum studiosissimis viris,

Dn. GULIELMO-HENRICO  
à LAER  
Dn. PETRO à LAER } fratribus germanis:

Amicis & fautoribus suis charissimis,

Hæc Philosophico-Theologica problemata,  
tum in debitæ observantia signum, tum  
in amoris symbolum perpetuum

Inscribit & offert

Gulielmus Pistorius G. Julianus,  
Auth. & Respondens.



## Q U E S T I O . I.

*An Philosophia à Philosophis rectè dicatur partus  
ignorantiae? Affir.*

**A**Dmiratio est Philosophiæ veluti anima. Admirationem illam parit ignoratio causarum, vel certè ignoratio cohæsionis causarum cum effectu, *Scal. ex. i. s. i.* Causâ verâ cognitâ mens nostra acquiescit, nec amplius miratur effectum. Sedari autem non potest quamdiu causam ignorat, atq; iccirco cupit istam tristitiam excutere, quæ ex ignoratione causarum oritur, & admirationis effectum includit. Qui enim admiratur, ait *Aristot. r. Metaph. c. 2.* ignorasse existimandus est. Quapropter cùm excellentia ingenia suspendi nolint, & ferre nequeant ignorantiam atq; tristitiam ex causarum ignoratione ortam, necessariò moventur ad investigandas rerum causas; atque adeò ad constituendam philosophiam, quæ causarum magistra est, *Arist. d. l. & Fonseca in d. l. q. s. Διὰ τὸ φλεγεῖν, ait Philosophus, πλευραὶ εἰφίλοσόφουσαν.* Confer *Kecker. l. r. præcogn. Philos. c. 4.* Iccirco philosophari est effectorum, quæ admiramus, causas quas ignoramus, inquirere. Ignoratio parit admirationem, admiratio inquisitionem & scientiam. Sicut enim in motu physico tria consideranda sunt: terminus à quo, medium per quod, & terminus ad quem: ita & res sese habet in discursu philosophico. Terminus à quo est ignoratio causarum, è quâ existit admiratio, quæ peperit philosophiam. Discursus est ipse motus: *ποτετάξιν* Græci vocant. Terminus ad quem est notitia causarum. His ita positis patet, quòd ignorantia sit mater philosophiæ, non proximè, sed remotè & per saltum, ut loquuntur in scholis; *ὅπερ ἐδεῖξεν.*

---

### Q u æ s t i o I I .

*Quot scholas Deus aperiat homini? Resp. Tres.*

**H**omo consideratur in dupli<sup>c</sup>i statu, viæ scilicet & patriæ: ut Scholastici loquuntur. In statu viæ consideratur, vel quâ homo, vel quâ Christianus.

In statu patriæ consideratur ut incola cœli. Homo quâ homo, constitutus est in schola nature, ubi liber est Mundus duplex, magnus scilicet & parvus: lumen autem est naturale vide-licet Ratio. Homo quâ Christianus versatur in schola gratie, quæ dicitur Ecclesia militans: ubi est liber scriptura, lumen autem supernaturale Fides. Homo deniq; quâ incola cœli versabitur post hanc vitam in scholâ gloriae, quæ dicitur Ecclesia triun-phans: ubi liber erit ipsum Cœlum & chorus beatorum, Deus autē Docto<sup>r</sup>: lumen erit visio Dei beatifica. Tres igitur sunt scholæ: quarum primam Deus aperit communiter omnib. hominib. secundam quibusdam singulariter, quorum alii sunt quidem in Ecclesia, sed non de eâ; alii in eâ & de eâ: tertiam paucissi-mis, iis duntaxat qui militant bonam illam militiam, retinen-tes fidem & bonam conscientiam. In primâ scholâ docent Philosophi, in secundâ Theologi. Si Philosophi conentur contra statuta scholæ secundæ docere, impii: si suam scholam secundæ anteferre, superbi: si eam cum secundâ conferre, & ex eâ lucem inferre, moderati & saniores meritò audiunt. Si Theologi velint primam scholam contemnere, injurii: si in schola gratiæ discere, quæ in schola gloriae discenda sunt, superbi: si rationis decempedâ immensos religionis agros me-tiri, stulti optimo jure audiunt.

---

### Q u æ s t i o I I I .

*An quicquid verum est Philosophicè, idem etiam verum sit Theologicè, & contrà? Affir.*

**D**iversitas disciplinarum non mutat rerum naturas, neque veritatem

veritatem illarum in falsitatem transformat. Veritas namq; una est specie & generale entis πάθος quā ens est. Habet enim veritas complexa fundamentum in veritate incomplexā seu transcendentali, quā habet fundamentum in conceptibus mentis divinæ: sicuti falsitas complexa in incomplexā & hæc in conceptib. diaboli. Nam falsitas pronunciatorum pendet non solū ex errore mentis humanae: sed etiam ex fallaci voluntate malorum spirituum. Sicut ergo unus est Deus, qui ubique verum loquitur in schola naturæ & gratiæ, ita una est & simplex in omnibus disciplinis veritas. Unus omnium disciplinarum liberalium author est Deus, nullius autem dia-bolus. Quod igitur in unâ disciplinâ Deus voluit esse ens sive verum (nam ens & verum reciprocantur, videlicet ens complexum & verum complexum, itemq; ens incomplexum & verum incomplexum) id in alterâ disciplinâ non vult esse non-ens seu falsum. Nec fieri potest, ut quod semel est ens constitutum, id disciplinæ alicujus respectu fiat non-ens. Nullâ enim ratione de una eademq; re conceptus divini possunt fieri discrepantes. Ut disciplinæ non crearunt entia: ita entia divinitus creata, sua consideratione, seu vario considerandi modo, non faciunt non-entia. Est item de essentiâ veri falso semper contrariari. Nam verum vero consonat: Falso igitur consonare non potest. Faceant igitur hæ formulæ: hoc verum est in Physica falsum in Geometria: hoc verum est in Astronomiâ, falsum in Theologiâ: hoc verum est Philosophicè, Theologicè falsum. Exempli gratiâ:

I. *Verum Theologicè.*

Virgo parit.  
Deus est unus & trinus.  
Ex nihilo omnia.  
Ignis non uscit aliquando.

*Verum Philosophicè.*

Virgo non parit.  
Unum non est trinum.  
Ex nihilo nihil fit.  
Ignis semper urit.

**II. Item:**

*Verum in Physica.*

Punctum est sensibile.

**III. Item:**

*Verum in Astronomia.*

Aer non est cœlum.

Ex his & consimilibus multis exemplis probare conantur, multiplicem esse veritatem.

*Verum in Geometriâ.*

Punctum est individuum & intelligibile.

*Verum in Theologâ.*

Aer est cœlum.

Resp. I. Ad exempla Theologica quod attinet, scendum est, dicta philosophica philosophicè esse explicanda, id est, de iis materiis, quas Philosophia tractat: Theologica theologicè. Verba namq; intelligenda sunt secundùm subiectam materiam. Jam vero Philosophia materias naturales & ordinarias: Theologia autem arcana tractat materias supernaturales & extraordinarias. Ex hoc fundamento potest responderi ad allata, & infinita alia ejusdem notæ exempla: videlicet *virgo parit* (sic potius dicimus, quām peperit; quia propositio de præterito & futuro verificatur propter propositionem de præsenti) viâ extraordinariâ, sed non ordinariâ. Neque enim pugnat cū primo principio: *Impossibile est aliquid esse & non esse*, virginem manere & parere. Ita verum est in natura: *Tria non sunt unum*, at supra naturam verum est, *tres personæ sunt unus ille verus Deus*. Malè itaque veritas dividitur in philosophicam & theologicam; cùm veritas non sit totum, sed simplex & impartibile: quod autem dividi debet, id partes habeat necesse est. *Keck. syst. Log. l. 2. part. 2. c. 3.* Una eademq; veritas consideratur modis variis, videl. naturaliter vel supernaturaliter, in scholâ vel naturæ, vel gratiæ. Deus non est sibi contrarius in principiis naturæ & gratiæ. Gratia non evertit naturam, sed eam excusat, ornat & perficit. Nullus fidei articulus est contra rationem, licet multi sint supra rationem. Ad II. Punctum consideratur vel concretè vel abstractè. Illo modo in

*Physica,*

in Generali  
um est inde  
in Theologo  
it calum.  
lis probat.  
quod ame  
e esse exp  
Theologi  
cundum f  
as naturales  
materias f  
mento pot  
exemplar  
ent quan  
et propon  
anata. Ne  
aliquid de  
t in natura  
per se sene  
in philosophi  
, t, t, t, t, t,  
artes habet  
ing venia  
lupenam  
elutum  
eveniunt  
ei ambi  
nem. All  
att. illa  
Physica, hoc in Geometria. Nulla igitur est contradictione neq;  
duplex veritas. Ad III. Aer non est cœlum, si cœlum philosophicè definiatur: Aer est cœlum, si Theologicè consideretur: Ibi strictè, hinc late: ibi exquisitè, hinc populariter. De his vide Goclenii conciliatorem Philosophicum. Concludamus itaque cum Simone Maiolo dier. canic. part. i. colloq. i. Philosophiam Theologie non solum nihil detrahere, verum etiam plurimum ornamen-  
tum afferre.

---

#### Q u æ s t i o I V .

*An Philosophia sit aliqua utilitas in studio Theologico,  
& si qua sit, qualis sit?*

INvenias bene multos, qui Philosophiam ex alto despiciunt, qui scil. pietatem in ore potius quam in corde gerunt. Theologia, inquiunt, seipsa contenta non opus habet lumine aliquo philosophico. His haec comparanda est responsio: Fides non excludit rationem, sed supponit: Ergo & Theologia suprema illa & architectonica facultas, presupponit Philosophiam, non abolet. Præterea utilitas Philosophiae sparsa est per omnes & singulas Theologiae partes, quæ sunt Didascalica, Elenctica, & Analytica. In Didascalicâ Theologiâ occurunt conclusiones, partim puræ, partim mixtæ. Puræ conclusiones sunt, quæ terminis solius Theologiae supernaturalis (in Theologia enim naturali aliter res habet) propriis constant: ut Christus est θεός: Christi mors est nostra vita: Fide purificantur corda. Hos philosophia ne primoribus quidem labris attingere potest. Nam non licet μεταβάνειν eis anno Χριστοῦ. Mixtæ conclusiones sunt, quæ uno termino philosophico altero Theologico combinantur; ut, an attributa (vocantur perfectiones essentiales) ab essentia & inter se, differant vel ratione, & si ratione, an ratiocinante, vel ratiocinata? An

in Deo differant esse & essentia? Quomodo generatio & cre-  
atio differant? An cœlum supremum sit in loco? Quomodo  
Christus ~~deus deus~~ fuerit in V. T? Si explicandæ & probandæ  
sint hujusmodi conclusiones, partim theologicis partim phi-  
losophicis explicandæ & probandæ erunt argumentis. Neq;  
enim in hoc casu fit ~~per se~~ eis anno 1500, transitus de genere in  
genus. Ratio: quia medii termini, ut Aristoteles, sive, ut Ramus  
vocat, argumenta tertia, sequuntur naturam conclusionum.  
Ducuntur enim à natura subjecti & prædicati. Quando ergo  
cōclusio sive questio, est partim Theologica, partim Philoso-  
phica, tum argumenta quoq; partim Theologica partim Phi-  
losophica esse debent, Keck, s. f. Log. I. 3. c. 9. & præcogn. Philos. I.  
c. 4. Vis demonstremus utilitatem Philosophiae in Theologia  
Elenctica? Theologus non tantum debet esse ~~discernens~~, sed eti-  
am ~~discernens~~ r̄t̄s ~~discernens~~ ελέγχειν. Id autem non præstabit sine  
~~πρόπτερον παρεῖναις~~, quem è Logicis petat oportet. Distinctiones  
quoque ineptas sophistarum à veris non discernet, ni sit Me-  
taphysicus. Illas enim distinctiones veras & genuinas esse pro-  
nuntiabit, quæ congruunt cum modis essendi, quos tradit  
Metaphysica. Exempla habe è multis ista, nisi vehementer  
fallor, selecta. Omnes creaturæ sunt in Deo, tanquam effe-  
cta in causa. Deus est in mundo, non ut in loco, sed ut causa  
in effecto; auxilio, generali, speciali & specialissimo: Anima  
est in corpore, ubi animat essentialiter, in scriptura objectivè.  
Turcæ inest damnatio ~~πρώτος~~ ob infidelitatem; ~~πρώτος~~ ob  
persecutionem Christianorum: Patiente Joanne Baptista vel  
Ecclesiâ, patitur Christus, non in ~~ἰωλῆ~~, sed ~~χειρῶν~~. Deus non  
est incarnatus absolutè, sed relatè; Theologi illud vocant  
~~ετικεδῶς~~, hoc ~~ετερουπόντιος~~. Deus est immortalis ~~τοῦ θεοῦ~~, anima ~~τοῦ θεοῦ~~.  
Attributa divina in essentia differunt ratione ratiocinante,  
sed respectu effectuum differunt ratione ratiocinata seu vir-  
tualiter. Sed quid multa? Obvia sunt hujuscemodi quamplu-  
rima

rima apud eos, qui Theologiam cum Philosophiâ conjunxerunt. Martyres dico, Sadeles & Zanchios, de quibus, majo-  
résne Theologi an Philosophi fuerint, jure dubitaveris. Ve-  
nio ad Theologiam Analyticam; quâ Biblia V. & N.T. resol-  
vuntur. In eâ nullus eris ni doctus sis Logicam, & alias artes  
vel infra mediocritatem. Occurrunt in sacris literis termini.  
Metaphysici, ut *vv.*, *Apoc. i. v. 4. & 8.* quò refer nomina illa Dei  
*Jehovah & Ehejeh: nō Bonum, Genes. i.* Occurrunt Physici in li-  
bris Mosis, in libro Job, in Psalmis. Occurrunt Geographici;  
ut, paradiſus, itinera patriarcharum, topographiæ, itinera A-  
postolorum: occurunt Astronomici; ut, Orion, Arcturus,  
Pleiades: occurunt Chronologici. Vide in hanc sententiam  
*Picum Comitem in heptaplo. Bened. Ariæ Montani Josephum, Jere-*  
*miam, Danielē & Nehemiam in opere regio. Flac. Illyr. clav. script.*  
*part. 2. Lemnii similitud. Keck. l. 4. præcogn. Philosoph. c. 4.*

#### Q U A E S T I O V.

*Quænam sit vera Philosophie definitio?*

COLLECTIVA perfectè definiri non posse docent Logici. Phi-  
losophia autem est collectivum: *Keckerm. in syst. & Gymnas.*  
*Logico.* Perfecta itaq; ejus definitio (*Græcis dicitur ἀριστερή*)  
dari non potest. Datur autem imperfæta, quam Logici vo-  
cant *επονυμίαν*, Latini descriptivam & simpliciter descriptio-  
nem. *Describi autem debet Philosophia, non subiectivè &*  
*concretè considerata, quatenus est in hoc vel illo subiecto (ita*  
enim in omnibus & inter omnes variat) sed formaliter, in se,  
abstractè, quatenus est extra subiectum. Et hoc posteriori  
modo est vel archetypa, vel ectypa. Archetypa est, quæ est  
habitus in mente. Ectypa est, quæ est sistema præceptis  
methodicis adornatum. Et utraque accipitur, vel latissimè,  
vel strictè. Latissimè Philosophia est omnium rerum scien-

tia; uti accipit Cicero l. 2. off. Strictè Philosophia distinguitur contra Theologiam, Jurisprudentiam & Medicinam, & hoc modo est; I. habitus scientiâ, prudentiâ & arte constans. *Jac. Mart. lib. 1. exerc. Metaph. exerc. 1. theor. 1.* II. Compages scientiarum, prudentiarum & artium. Has duas Philosophiæ descriptiones retinendas putamus: quarum illa loquitur de archetypâ seu habituali, haec de ectypepâ seu systematicâ philosophiâ. Confer *Fonsec. in 2. Metaph. c. 3. q. 3. seet. 2. Casm. l. 1. Philosoph. Christ. c. 1.*

---

## Q u æ s t i o VI.

*Quenam sit vera Philosophiæ divisio?*

ENcyclopædia Philosophica sive cyclus liberalium disciplinarum, variis constat partibus integralibus, quas hoc ordine recensemus. Philosophia est *θεωρητική, contemplativa, πρακτική, activa, & ποιητική, factiva.* Theoretica sub se habet unicam sapientiam; videlicet *Metaphysicam* & undecim scientias, quæ sunt: 1. *Physica generalis.* 2. *Somatologia.* 3. *Pneumatica.* 4. *Mathematica generalis.* 5. *Arithmetica.* 6. *Geometria.* 7. *Cosmographia.* 8. *Astronomia.* 9. *Geographia.* 10. *Optica.* II. *Musica.* Practicæ disciplinæ vocantur prudentiæ. Suntq; numero quinq;: 1. *Ethica.* 2. *OEconomica.* 3. *Politica.* 4. *Scholastica.* 5. *Historica.* Poëticæ disciplinæ vocantur artes, strictè sumpto vocabulo, suntq; septem: 1. *Mnemonica.* 2. *Lexica.* 3. *Grammatica.* 4. *Rhetorica.* 5. *Logica.* 6. *Oratoria.* 7. *Poëtica.* Sunt itaque, nisi me calculus fallit, disciplinæ Philosophicæ 24. quibus si adjeceris quatuor Philosophiæ præcognita, quæ sunt *Archelogia, Hexilogia, Technologia, & Canonica;* ritè compleveris theatrum Philosophicum xxviii. ut ita dicam, cellulis. Alias Philosophiæ divisiones tibi suppeditabunt *Bernh. Copius JCt. in partit. & offic. Ciceronis. Jandun. in proœm. de anim. Fonseca in 2. Metaph.*

Metaph. c. 3. q. 2. Colleg. Conimbr. in proœm. Phys. Anton. Possev. l. 12.  
Biblioth. c. 3. Kecker. l. 1. præcogn. Philosoph. c. 2. & in tabulis de modo  
descendi. Timpl. technol. c. 3.

## Q U A E S T I O VII.

*Quomodo Philosophia sit discenda?*

Qui Philosophia sacris operari cupit, debet præstituere si-  
nem, & constituere media. Finis est expulsio ignorantiae;  
quæ est duplex; Arist. l. Post. c. 12. Una vocatur pura negationis,  
qualis est in idiotis & pueris: altera prava dispositionis, qualis  
est in Sophistis, qui cum veritatem solidè non sciant, simu-  
lant tamen se scire. Prior illa est vel formalis, vel interpreta-  
tiva. Fonseca in 9. Metaph. c. 2. q. 4. sect. 3. Formalis est defectus  
scientiae, hoc est, veræ cognitionis; Interpretativa autem de-  
fectus considerationis seu ponderationis. Contra tria illa  
monstra depugnare debet studiosus, contra ignorantiam  
formalem, interpretativam & malæ dispositionis. Sed qui-  
bus mediis? Media illa sunt duo; removere impedimenta &  
admoveare adminicula discendi. Impedimenta illa sunt no-  
vem studiorum hostes, & pestes, quas studiosus profliget ne-  
cessum est. Suntq; 1. Peccati labes. 2. Desidia. 3. Puillani-  
mitas. 4. Δοξοσφαίρεια. 5. Αυτομάθεια. 6. Μαλαιστέχνηα. 7. Πολυπραγμο-  
σων. 8. Nimirū & immoderata studia. 9. Mutatio præcepto-  
rum. Adminicula discendi considerantur, quo ad commu-  
nes affectiones & partes. Communes affectiones sunt, quæ  
requiruntur in singulis studiis Philosophici partibus. Suntq;  
numero septem: 1. Precatio. 2. Studium sanctæ vitæ. 3. Φιλο-  
τονία. 4. Ars meditandi. 5. Ars oblivionis. 6. Ordo. 7. Ars  
prænoscendi ingenia. Partes adminiculorum sunt numero  
octo: 1. Lectio. 2. Auscultatio. 3. Scriptio: ubi est locorum  
communium adornatio. 4. Interrogatio. 5. Examen; seu

repetitio. 6. Declamatio. 7. Disputatio. 8. Peregrinatio.

Atq; hæc est illa heptas quæstionum de Philosophiæ na-  
turâ & studio : de quibus in ipsâ συζήτησι ξω τῇ τε Θεῖ παλάμη  
fusiūs agemus.

SOLI DEO GLORIA.

AD PRÆSTANTISS. DN. RESPOND.  
GULIELMUM PISTORIUM Juliacum.

Quod mihi sis charus Pistori, colligis inde,  
Hac tibi quod tremulâ disticha scribo manu.

Gratulor ex animo cœptis, & prospera queque  
Comprecor, hoc tibi do pignus amicitie.

Herm.Ravensperg.SS.Theol.D.& Prof.Herb.

JOHAN-HENRICI ALSTEDI

EPIGR. A M M A T I O N.

Dogmata Philosophum qui novit, terq; quaterq;  
A vulgo felix dicitur, & coluntur.

Dogmata Theologum qui novit, ter mage felix  
Audit apud vulgum. Atq; hoc equidem merito.

Errat at heic vulga judex, me justice, valdeq;  
Errat, Philosophos Theologosq;, colens.

Dogmata Philosophum nam qui dunt axat honorat,  
Et pariter felix, & pariter miser est.

Et felix: quoniam Naturæ arcana recludit;  
Scripturæ ignorans mystica sed miser est.

Sic quoq; Theologum qui solum dogmata novit,  
Et pariter felix, & pariter miser est.

Et felix: quoniam Scripturæ mystica novit;  
Naturæ ignorans scita, sed & miser est.

En quæ erratum longè est à judice vulgo!  
Verius aut hoc, me justice, judicium est.

Non miserè felix, miser aut feliciter hic est,  
Qui pariter Sophia Theologiaq; studet.

Id fac, PISTORI, & fac sedulus, ut facias: ut ne  
Et pariter felix, sis pariterq; miser,

Nisi miserè felix, feliciter aut miser ut sis;  
Sed felix sophia ut Theologusq; sis.

F I N I S.



oem. Phys. Anton. Possev. l. 12.  
soph. e. 2. & in tabulis de modo

### VII.

fit discenda?

cupit, debet præstituere filius est expulsio ignorantiae;  
in vocatur puræ negationis,  
prævaricæ dispositionis, qualis  
in solidè non sciant, simul  
vel formalis, vel interpreta  
tio. 3. Formalis est defectus  
interpretativa autem de  
finitionis. Contra tria illa  
opus, contra ignorantiam  
& dispositionis. Sed qui  
emovere impedimenta &  
impedimenta illa sunt no  
vas studiosus profliget ne  
cessus. 2. Desidia. 3. Pusillani  
Malacostéchia. 7. Πολυφραγμο  
ia. 9. Mutatio præcepto  
derantur, quo ad commu  
niones affectiones sunt, quæ  
philosophici partibus. Suntq;  
studium sanctæ vitæ. 3. Φιλο  
solvitionis. 6. Ordo. 7. Ars  
miniculorum sunt numero  
Scriptio: ubi est locorum  
rogatio. 5. Examen; seu

B ij